



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm VIII. Ea quæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)



supina negligentia, si post admonitionem non emendaverit se.

2. Notandum secundum. Si agatur contra Prælatum regularem ad depositionem, processus planus, & summarius, inspecta rei veritate sufficit, sicuti hic habetur. Ratio est, quia Prælati regulares, & omnes Religiosi ab administratione facilius, & liberius deponuntur, quàm sæculares. *c. qualiter 24. in fine de accusat. c. per tuas 32. in fine de Simonia*, & notavit Gloss. hic verbo *absque iudiciorum strepitu*.

3. Notandum tertium. Si Prælatus ob dilapidationem bonorum vel magnam negligentiam amoveatur, interim dum alius constituitur, administrator in temporalibus ab Episcopo est ponendus; cum enim hoc in casu plerumque etiam Conventus suspectus sit, ne Prælato confenserit, non est tutum conventui administrationem relinquere, uti hic notavit *Ioann. And. n. 10. Innoc. in c. dilectus de accusat.* ubi ait, quod caput ægrotum malam facit præsumptionem de membris.

Videri etiam potest *Con. Trid. Sess. 25. c. 2. de regularibus*, ubi constitutio Innoc. III. præcedente *c. posita* renovatur, quoad monasteria, quæ immediatè Sedi Apostolicæ subdita, Visitatores regulares non habent, atque mandatur ibi, ut ea monasteria in Capitula redigantur.

#### CAPITULUM VLTIMUM eodem in Sexto.

#### Periculoso.

##### PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Monialibus omnibus expressè vel tacitè professis præcipit clausuram perpetuam, ita, ut nulla ratione vel causa è monasterio egredi ipsi liceat, nisi constet, quod aliqua ob morbum contagiosum cum alijs sine gravi periculo aut scandalo habitare non possit, præterea ut nulli personæ ad Moniales ingressus, aut accessus pateat, nisi rationabi-

lis causa postulet, & ejus, ad quem pertinet, specialis licentia accedat.

#### SUMMARIUM.

1. *Que hodie circa clausuram Monialium observanda?*
2. *Ad quas personas pertineat decreti de clausura obligatio?*
3. *Quanam sint iusta causa concedendi licentiam Monialibus egrediendi ex clausura?*
4. *Aut mutandi monasterium?*
5. *Quis sit Superior ad cognoscendam egrediendi rationem & dandi licentiam?*
6. *Quid prohibeatur, cum clausura Monialibus præcipitur?*

Hanc constitutionem pluribus in locis, aut non receptam, aut delictuine abolitam, renovavit *Trident. Sess. 25. c. 5. de regul.*

Circa priorem partem dubitatur primò, Ad quas personas pertineat hujus decreti obligatio? Respondetur, ad omnes & solas professas, uti explicat *Suarez. 1. 4. de relig. l. 4. de obligat. Religiosorum c. 1. n. 33. Unde inferitur primò cum *Navar. 1. 3. Consult. 6. hoc. tit. edit. 2. virgines*, quæ votum continentia habent, etsi collegiatæ vivant, imò etiam obedientiam voverint, si tamen rerum proprietatem teneant, non esse Sanctimoniales, ideòque ad clausuram non obligari. Secundò inferitur, eas Conversas, quæ trium substantialium votorum professionem non edunt, non obligari ad clausuram, De his videri potest *Bulla 1776. quæ incipit, cura pastoralis*. Tertio inferitur, novitios non obligari hac continuatione, ideòque cum Superiorum licentia egredi posse, v. g. propter valitudinis recuperationem, ita, ut annus probationis non interruptatur, si habitum retineant. Quod dicit *Suarez. n. 16.**

Dubitatur secundò. Quanam sint iusta causa concedendi licentiam Monialibus egrediendi ex claustris. Respondetur, quod